Q. B. F. Q. V.

DISSERTATIO INAVGVRALIS MEDICA

SISTENS

VIRVM APOPLEXIA EXSTINCTVM AB HAEMORRHOIDVM INCONSVLTA SVPPRESSIONE

QVAM

CONSENSV ET AVCTORITATE

GRATIOSI

MEDICORVM ORDINIS

IN

INCLVTA NORIMBERGENSIVM ACADEMIA ALTORFINA

PRO LICENTIA

SVMMOS IN MEDICINA HONORES ET PRIVILEGIA DOCTORALIA LEGITIME IMPETRANDI

PVBLICE DEFENDET

GEORGIVS EPHRAIM SCHMID

HERRENSTADIO-SILESIVS

A. D. XVI. APRIL. cIↄ Iↄcc XXIII.

H. L. Q. C.

TYPIS IODOCI GVILIELMI KOHLESII ACAD. TYPOGR.

VIRO

MAGNIFICO PRAENOBILISSIMO ET CONSVLTISSIMO

DOMINO

SAMVELI MVLLERO

ICTO

SERENISSIMI DVCIS WVRTEMBERGICI CONSILIARIO REGIMINIS ET CONSISTORII OLSNA-BERNSTADIENSIS

VT ET

CANCELLARIAE DIRECTORI GRAVISSIMO

DOMINO PATRVO PARENTIS LOCO AESTIMANDO

PATRONO ET STVDIORVM MEORVM PROMOTORI AETATEM COLENDO

PRIMITIAS HAS ACADEMICAS QVA DECET PIETATE ET OBSEQVIO

D. D. D.

AVCTOR.

Q. B. F. Q. V.

DISSERTATIO INAVGVRALIS MEDICA
SISTENS
VIRVM APOPLEXIA EXSTINCTVM AB HAEMORRHOIDVM INCONSVLTA SVPPRESSIONE.

PRAEFATIO.

Sapientiſſime Hippocrates olim ſcripſit : Oportet medicum ita ſe comparare, vt faciat, quod officium iubet : ſed et aegrotantes, atque qui praeſto ipſi ſunt, decenti ſe modo gerere, et quae foris incidunt, recte ſe habere debent. *Grauiter his verbis indicat, non eſſe in medico ſitum, ſi multi, qui ſeruari poterant, ad plures abeunt :*

ſed plerumque vel aegri moroſitate, vel eiusdem leuitate & ſalutis propriae neglectu, vel intempeſtiua ſedulitate adſtantium et miniſtrantium, in quibus non raro etiam inſignis negligentia vel alius erroris iuſta accuſatio locum inuenit, vel denique infinitarum rerum extra nos poſitarum culpa accidere, vt loco ſperatae ſalutis ſiniſter et luctuoſus morbi euentus obſeruetur. Effati huius veritatem comprobantia exempla vtinam quotidie non offerrentur ſpectanda. Quum vero obſeruari talia multis de cauſis vtile ſit: nam et medici prudentiam augent et morbo laborantibus admonitioni ſunt: placuit mihi inauguralis ſpeciminis loco exhibere aegrotum in ipſo aetatis flore exſtinctum, haud certe medici, cui ſe tradiderat culpa, ſed vix ſine culpa et vitio illorum, qui ſalutem eius nimia ſedulitate imprudenter quaeſiuerunt. Hiſtoriam a viro fide digno, et qui ipſe curationi adfuit, defunctique viſcera ſuis manibus tractauit, acceptam praemittere, noſtrasque meditationes ſubiungere viſum fuit. Faxit DEVS, vt hae ſtudiorum noſtrorum primitiae aliquam lectori vtilitatem adferant: noſtrisque conatibus porro adſpiret.

HISTO-

HISTORIA MORBI ET SECTIONIS IN DEFVNCTO INSTITVTAE.

VIr generoſus quadrageſimum iam annum egreſſus, vitae aulicae et diaetae vinoſae deditus, quum nuper iuuenculam vxorem ſecundis votis duxiſſet, hæmorrhoidum largo et diuturno fluxu corripiebatur. Vxor, mariti amantiſſima, anxiis de ſalute eius curis pene confecta, impellebat ipſum, vt ſe celeberrimo medico longaque experientia ſubacto viro curandum permitteret. Is prudentiſſime diiudicabat, quam ancipitis periculi res ſit feſtinanter hic agere: ſeque operam daturum pollicebatur, vt fluxus hic reuera immodicus cum tempore in ordinem redigeretur: praeſcribebatque non ſolum remedia conuenientia, ſed diaetam ſalubrem. Non obſcurum erat quantum tali modo proficeretur, quum ſanguis neque quotidie, vt antea, neque tanta copia per aluum eiiceretur: ſed parum abeſſet, quin ad menſtruam periodum accurate tenendam redigeretur. Sed feſtinatio vxoris exoptatiſſimam curationem ad funeſtum finem adduxit. Per hominem enim ſibi familiarem ſcribi ad alium medicinasque afferri curabat. Is mittebat remedia, et non indulgendum fluxui vires conſumenti ſignificabat. Adhibentur illa per duos treſue dies. Omnia pulcerrime ſuccedere videbantur, adeo, vt, tamquam omnibus numeris abſoluta curatione, reditum iam ad patrios lares familia haec generoſa pararet, conuiuioque valedictorio medicum priorem adhiberet, apud quem ſtudioſe diſſimulabatur vſus remedii aliunde petiti. Is vero ex ipſo prandio auocatus, ad vicini Principis extremos languores ſubleuandos peregre proficiſcebatur,

 batur,

batur, valere hoſpitibus iuſſis. Ea nocte iam penitus concubia pulſabantur fores huius medici, petebaturque, vt cito in ſubſidium veniret vel ipſe, ſi iam redux factus eſſet, vel medicinae candidatus quidam, illius domeſticus et conuictor, qui aegrotantem ſaepius viſitauerat, totiusque morbi conſcius erat. Quum aduenisſet hic, omnia triſti eiulatu plena, virum ἄφωνον in lectulo iacentem, et conuulſiuo artuum ſuperiorum tremore agitatum, cum ſtertore et ſpuma oris, deprehendit. Adhibebantur omnia artis praeſidia, ſed nullo cum effectu: clyſterem ne quidem licebat iniicere, adeo via arcte concluſa et conſtricta erat. Sublato breui poſthac e viuis generoſo viro, omni perſuaſionum genere tandem impetrabatur a moeſtiſſima coniuge, vt permitteret cultro anatomico rimari corpus exanimatum. Aperto igitur abdomine cum thorace, omnia viſcera ſaniſſima ſunt inventa; epar quidem, proportione habita, grandius, ſed ita conſtitutum, vt debet eſſe ſaniſſimum, videbatur. Sed illud omnium admirationem merebatur, quum tam arcte inſtar funiculi conſtrictum inteſtinum rectum et potiſſima pars coli conſpiceretur, vt digiti auricularis craſſitiem aequaret, vel vix multum ſuperaret: vt iam in propatulo cauſa eſſet, cur enema nullo niſu impelli potuerit. Sanguinea vaſa has partes ſubeuntia penitus vacua erant: ſed in tenuioribus inteſtinis bina erant loca ſanguine prae reliquis turgentia et tamquam inflammatione correpta. Quum capitis apertionem non concederent defuncti familiares, plura luſtrare cupientibus hic deſiſtendum erat. Paulo poſt compertum eſt, profitente domeſtico quodam, quid acciderit circa medicinam aliunde petitam, allatumque fuit vitrum bonam portionem medicinae illius continens, quae ſapore ex-

plorata

plorata vitriolum martis terramque catechu, guſtata pariter atque odore tentata opium prodebat. Ne vero quisquam putet intemperantiam quandam viri hic eſſe accuſandam, addere etiam hoc debemus, ipſum in ultimo prandio plane non guſtaſſe vinum: cibis autem admodum modice vſum eſſe, quod clariſſime etiam diſſectio corporis comprobabat, quippe exiguum omnino erat, quod ventriculus et inteſtina continebant.

CONSIDERATIO MEDICA.

§. I.

Quum plura ſint in hac propoſita hiſtoria, de quibus ampliſſime diſſerere liceret: noluimus tamen ſingula proſequi, ſed iis potiſſimum inhaerere conſtituimus, quae faciunt ad intelligendum illum nexum atque mutuam conſequentiam haemorrhoidalis negotii ſuppreſſi, et apoplexiae per hunc errorem inductae.

§. II.

Haemorrhoidalis fluxus beneficium inſigne, quod mortalibus praeſtat, eorum corpora a grauibus morbis vel libera ſeruando, vel iam affecta liberando, quum maiores noſtri non omnino ignorauerint, et in huius confirmationem grauiſſima teſtimonia reliquerint: noſtra tamen aetate, praeeunte illuſtri Archiatro Boruſſico *D. D. Stahlio*, fere obliuioni tradita haec doctrina diligentius quam olim exculta fuit. Quare nolumus rem hanc, quod prouerbio dicimus, ab ouo repetere, ſed potius pleraque huc pertinentia, ex ampliſſimis commentationibus Excellentiſſimi huius medici, ipſumque ſecutorum clariſſimorum virorum, haurienda commendamus.

§. III.

Neque tamen diſſimulabimus hoc loco ſaepe animum noſtrum, cetera conuictum, ſubiiſſe aliquam dubitationem quando legimus

gimus ab auctoribus noſtris vnice fere tantum, in huius aliarumque haemorrhagiarum cauſa euoluenda, ad venas recurri, tamquam arteriae omnino ad rem nihil hic facerent. Jam olim ad alia, et, ut mihi perſuadeo, meliora vocauit *Jo. Antonid. van der Linden* a) cuius verba, quae hic etiam legantur, digna puto: *Ab his*, inquit, (venis haemorrhoidalibus) *creditum diu profundi eum ſanguinem, qui magno valetudinis commodo aliis, aliis incommodo, exit per anum. Nobis a cognominis potius arteriis extrudi perſuadet vtiliſſimum inuentum motus ſanguinis.* In eaſdem cogitationes incidit *Archibaldus Pitcarnius.* b)

§. IV.

Liceat igitur, pace doctiſſimorum virorum, diſpicere quo Iure de arteriis tam rara fiat mentio. Supponamus tantiſper nullam haemorrhagiam ſpontaneam accidere, niſi prius alterato, et, in parte quadam, aucto motu tonico partes a loco excretorio remotiores ſtringente, et humores ad ipſum locum affectum, ſed et ad viciniam, coacervante. Jam quaenam aſſignari poterit ratio, aut quis ſtricturae modus mente concipi, qui non etiam arterias afficiat? aut qui poterit ſanguis in venoſo ſyſtemate inflato coaceruari, niſi arteriae, ex quibus in venas influit, dum ſe ſegnius et parcius in ſuperoneratas venas effundunt, quoad capacitatem ſuam augeantur et ſimul inflentur?

§. V.

Jam vero ſi aeque arterias ac venas, in eiuſmodi moliminibus et congeſtionibus ad haemorrhagias ſpectantibus, inflari et ſanguine multo expandi opus eſt: cauſam nullam equidem video, cur actualis perruptio venis ſolis tribui debeat. Si enim tunicarum in venis tenuitatem reſpicias: minimarum, quae quidem examen patiuntur, arteriarum haud certe deprehenditur notabiliter maior craſſities quam venularum eiuſdem diametri. Et quum

a) *Medic. phyſiologic. c. IV. §. 81.*
b) *Opuſcul. pag. 17.*

quum non ſine cauſſa dubitetur, an venulæ dentur tam ſubtiles, quae pari copia et numero reſpondeant exiliſſimis et quaſi tomentoſis arteriarum vltimis diviſionibus, noſtro demum ſaeculo immortalis *Fr. Ruyſchii* diuina arte in lucem productis: ex altera vero parte ratum firmumque ſit arteriolarum vltima tam anguſta reddi, vt cruorem non admittant, ſed tenuiſſimam lympham vehant; quare illis arteriarum lymphaticarum nomen impoſitum eſt: quis dubitabit tam ſubtiles tubulos ſub congeſtione et infarctu humorum vltra modum ordinarium et conſuetum extenſos, adeoque ſeipſis tenuiores, ſcilicet ratione tunicarum, redditos, et ſub hac ipſa dilatatoria extenſione ampliores factos, vt ſanguinem vltra conſuetum terminum admittant, poſſe tandem adeo vrgeri, vt vel disrumpantur, contentumque ſanguinem ſinant effluere, vel loco lymphatici ſeroſi humoris, quem alias ſ. n. emittebant, ipſum ſincerum ſanguinem profundant.

§. VI.

Fauere huic theoriae videtur notabilis illa circumſtantia, quod poſt eiusmodi congeſtiones perruptio ſolemniſſime accidat locis illis, vbi præ reliquis adſunt multae exiguae arteriolae ad ſecretiones certas deſtinatæ, vt in tunica narium caua inueſtiente, ipſo cerebri cortice, ventriculo et inteſtinis, nec non renibus, et, certo tamen reſpectu, mulierum vtero; quæ fere loca ſunt frequentiora, vbi tales vaſorum anaſtomoſes cum ſubſequente effluxu ſanguinis, ſiue ad ſalutem ſive cum damno, euenire obſeruamus. Porro etiam fauet conceptui huic ipſa obſeruatio, quae docet in omnibus fere haemorrhagiis maioribus, et diuturniori periodo abſoluendis, poſt ſinceri ſanguinis effluxum ſequi dilutioris, tandemque mere aquei ichoris, proventum. Huius vero phaenomeni rationem facillime adſequimur, ſi ſanguinem ſincerum ex arteriolis ſubtiliſſimis, vel nimium dilatatis vel disruptis, tamdiu profluere cogitemus, donec ſublata eſt coaceruatio ſanguinis, quae vaſa prius ſupra modum dilatauerat, cruoremque eo impulerat,

quo naturaliter non ſolet pertingere. Omnibus vero rurſus ad naturalem modum redeuntibus non amplius rubicundus ſanguis ſed ſubtilior et fluidior lympha fluxum ſuum ibi continuat, nec ipſa amplius notabiliter effluxura, quamprimum omnia naturalem ſuum debitumque tonum pleniſſime recuperauerint.

§. VII.

Solent, quantum inquirendo didici, ab arteriarum admiſſione ad negotium haemorrhagiarum propterea potiſſimum abhorrere, quoniam fluxus eiusmodi ſpontanei plerumque admodum placide fiunt, nec ille impetus, qui in arteria notabili diſciſſa viſitur, hic apparet. Sed ſalua res eſt ſi cogitauerimus quantum interſit inter arterias maiuſculas, et tam exiguas illarum extremitates, quae longe infra capilli craſſitudinem ſubſiſtunt. Quis dubitabit in vulnuſculis, quae balneator, dum cutim ſcarificat, infligit, multas diſcindi arteriolas cuti implexas: et nemo tamen impetuoſum ſanguinis ex his obſeruauit effluxum: quin citius, quam optare ſolemus, deſineret, niſi artificioſa cucurbitularum applicatione aliquam eiusmodi ſtricturam, et ad loca excretioni deſtinata congeſtionem, procuraremus, qualem natura parat, dum hæmorrhagias molitur.

§. VIII.

Quae cum ita ſint, non video cur ſemper cum veteribus, ſanguinei circuli ignaris, de ſolis venis philoſophari hoc in negotio debeamus: praeſertim quum in aliquibus hæmorrhagiarum ſpeciebus vix paucas venoſi ſanguinis guttulas, ex vena non minima concipere poſſimus quin vel deſinere fluxus, vel arterioſi ſuppetiis promte debeat adiuuari. Nam cum ea ſit conditio ſanguinis in venas ſemel aſſumti, vt in latiores plenioresque canaliculos continuo deproperet: facile cogitari poteſt quam cito illud, quod in venula aperta, vsque ad radices ſuas, fuit contentum, effluat et euacuetur: vbi certe illud, quod ſupra aperturam fuit, ipſa ſtrictura tonica potius ad aſcenſum quam regreſſum vrgetur:

quod

quod vero effluit arteriis omnino in acceptis referendum eſt, quippe a quibus exiguae venulæ, quicquid ferunt, debent accipere.

§. IX.

Sunt vero vaſorum haemorrhoidalium duo genera: alterum arteria a ramo meſenterico inferiori demiſſa et ad inteſtinum rectum excurrens, cui reſpondet vena ad longitudinem huius inteſtini recta, ſed accliui, via ſurgens, meſenterioque ſuffulta ad portae ramum ſaepe dextrum, quandoque ſiniſtrum, tendens, vt ſe ibi coniungat hepar ſubituro ſanguini. Haec arteria, haec vena nomen *internarum* gerunt, quod ſanguinis ex interna et altiore inteſtini parte profluentis ſcaturigines exiſtimantur. *Externarum* nomen gerunt ramuli ab hypogaſtrica arteria ad inteſtini recti oſtium pergentes: quibus venae reſpondent ab ano ad ramum venae iliacae hypogaſtricum confluentes. De his plerique ſic ſtatuunt, vt haemorrhoides fluentes ac internas quaſi pro ſynonymis habeant: externas autem numquam ad fluxum peruenire, ſed vel tumere et ſic in furunculum abire, vel turgere et veſiculam ſanguine atrorubente repletam inducere, perhibeant. Enimuero vix ſatis certa ratio ſubeſſe videtur, cur non ſaepe etiam externae fluant. Nam quod externa haec vaſa haemorrhoidalia oram magis et limbum inteſtini recti, qua parte cum cute iungitur, cingant et occupent, quam interiora, non omnino conſonum autopſiæ deprehendimus. Muſculo certe ſphincteri ani, ſine dubio ſupra limbum inteſtini recti ſito, propagines ſuas diſtribuunt. In feminis autem, ubi inteſtinum rectum vaginae arcte iungitur, magis etiam quam in viris late patent ramuli hypogaſtrici et ad ipſum vterum et veſicam ſatis notabiles excurrunt, et inter ſe complicantur.

§. X.

Viſum fuit hoc loco laudare *Caſp. Bauhini c)* obſeruationem, qui non ſolum illas externas quoque profundere ſanguinem teſtatur, ſed hanc etiam circumſtantiam addit, quod fiat hic fluxus

c) *Theatr. anat. lib. I. c. XX.*

xus *ſine dolore et torſionibus ventris*, *aliquando etiam ſine dolore in ano*, *qui tamen in haemorrhoidibus internis*, *a venae portae ramo conſtitutis*, *adeſt.* Vt aliquid tribuamus huic adſerto, facit obſeruatio quaedam, quae nobis obtigit in viro inter ſexageſimum et ſeptuageſimum annos conſtituto. Hic habitu corporis ſucculento ſpongioſoque praeditus, cum a multis iam annis appropinquante aequinoctio haemorrhoides, ſine dolore et incommodo fluentes, per integrum fere menſem habuiſſet, et tunc eundem fluxum experiretur, die intempeſto, ventis borealibus exortis, cogitur ſummo mane iter ſuſcipere. Dum meditabundus in rheda ſedet, ſubito terrore percellitur, quo facto fluxus ille ceſſat. Mox vero conqueri coepit de tumore quodam cum dolore pulſante, quem non ſolum in inteſtino percipiebat, ſed tactu exterius deſignabat locum in medio illo ſpatio, vbi nates vtrinque coeuntes aliquam quaſi conuallem efformant; ita tamen vt non tam praeciſe in profundiſſima parte emineret tumor, ſed ad latus dextrum magis inclinaret. Poſt aliquot dies in tumoris medio effloreſcentia alba pus maturum monſtrabat: quare aperiendum abſceſſum procurabat: ſed quoniam ad manus non erant, qui curam vlceris perita manu quotidie adminiſtrarent, in fiſtulam degenerauit. Ex quo quidem caſu illud mihi videtur clare elucere ea vaſa, quae ſanguinem in hoc viro profuderant, factaque conſtrictione a terrore et frigore ſtaſin eiuſdem fouerant et exceperant, fuiſſe omnino a ramo hypogaſtrico, vnde muſculi etiam vicini et cutis irrigantur, ſub qua et in quorum confinio abſceſſus ille factus fuerat.

§. XI.

Sed progredimur ad ea, quae caſus noſter ſuppeditat, conſideranda. Utrum is omnino haemorrhoidibus internis, an externis fluxum ſuum debuerit cogitanti, extra dubium videtur poſitum internas eas fuiſſe: quod firmiſſime perſuadet arctiſſima conſtrictio inteſtini recti cum parte ſatis magna coli, quam corporis diſſe-

diſſectio patefecit: cuius quidem cauſas vero ſimiles conabimur deinceps exponere, ſi prius viderimus quid videatur in ipſo fluxum hunc excitaſſe. Quumque naturam hac euacuatione ſeſe exonerare a ſuperfluo ſanguine conſtans ſit medicorum perſuaſio; in noſtro quidem ſubiecto cauſas plethorae non opus eſt e longinquo deducere. Nam aetas florens, vita aulae deliciis affluens, et ſuſpenſum viduitatis tempore veneris exercitium, omnia fauent plethorae inducendae. Atque vt abundantia ſanguinis de viſcerum nutritionis negotio praefectorum illaeſa ex omni parte ſanitate teſtatur: ita eadem oculari poſt mortem inſpectione patefacta fuit. Vnde nihil amplius laborandum venit de plethorae praeſentia euincenda.

§. XII.

Vocat autem ad ſe magnitudo hepatis, quae in hiſtoria commemoratur, excedens. Hanc non audemus morboſam declarare, ſed potius, quando nulla induratio aut aliud vitium adeſt, ſaniſſimi hominis, qui cibos bene conficit, multumque ſanguinis elaborat & fouet, et ſignum et proprium accidens. Eſt enim hepar ex earum numero partium, quae non ſemper eandem determinatamque magnitudinem habent, ſed in eodem indiuiduo modo maiores, alio tempore minores deprehenduntur. Id vero ita ſe habere in omni animalium genere multiplici experimento deprehendere licet. Nam ſi quis aues, e. g. alaudas, turdos, anſeres illo tempore, quo maxime laſciviunt et proli progenerandae operam navant, diſſecet, iecinora omnino parva inveniet: fere duplo maiora auctumni initio, quum venere iam diu omiſſa abundanti pabulo ſaginantur. Idem in ſaginatis porcis aliisque animalibus, praeſertim iunioribus, obſeruare licet. Cauſas huius phaenomeni indicare non difficillimum videtur: ſed iam non licet longius euagari.

§. XIII.

Cur vero hic vir generoſus fluxum haemorrhoidalem eo demum

mum tempore expertus fuerit, quo ſolitariae vitae pertaeſus ad ſecunda vota fuerat progreſſus, id quaerere nonnullis forte videbitur ſuperfluum. Poſſet enim ſufficiens videri plethora in illam aetatem incidens, qua natura onus excuſſura ani vaſa aperit. Sed quo minus omnino inſuper habendam putem hanc circumſtantiam, facit quod iam olim *Exc. D. D. Stahlius d)* agnouit in haemorrhoidum negotio aliquam cum apparatu genitali conſpirationem deprehendi. Neque fieri omnino poteſt quin illa tanta humorum et generis neruoſi ſub exercitio venereo agitatio fluidorum microcoſmicorum pelagus valde commoueat; et ſpecialiſſime ad haec organa inuitet, ſed et ad propinquas et connexas partes copioſius decumbere adſuefaciat. Notus mihi vir eſt, qui, quum mature ductam coniugem et vehementer amatam poſt paucos menſes amiſiſſet, rebus ſuis ſic poſtulantibus per pluſculos deinceps annos in coelibatu caſte abſtinenterque vixerat. Tandem quum aliam ducere decreuiſſet, iamque per litteras et amicos eo res deducta eſſet, vt pactis coniugalibus pro more condendis dies diceretur; aduentans ſponſus amaſiae, praeſentibus amicis, per aliquod tempus aſſidens et blandos ſermones miſcens, inſueti tamdiu amoris ignibus adeo exarſit, vt quum aſſurgere e ſedili vellet corpusque erigere, neutiquam valeret, ſed tamquam omnia rigida et contracta in femorum regione eſſent, haereret, adeo vt vix horae quadrantis ſpatio ſenſim ſenſimque poſſet corpus erigere. Dolorem nullum, niſi cum violenter ſe vellet erigere aut femur extendere, ſentiebat: teſticulorum vero inſolitum pondus, et tamquam preſſionis et tenſionis ſenſum, percipere ſe teſtabatur. Territus hoc caſu parum aberat quin, grauioris mali metu, a propoſito deſiſtendum ſibi arbitraretur. Sed quum pergeret cum ſponſa verſari, ejusdemque alterationis ſortem aliquoties, ſed leuius, ſubiiſſet, ipſemet cauſam iſtius rei facile adſequutus eſt, omnemque metum abiecit.

§. XIV.

d) *Theor. med. p. 748.*

§. XIV.

Vt vero impetuoſius copioſiusque ad haec loca ruentem, poſt aliquam intermiſſionem, ſanguinem potuiſſe in noſtro aegroto, antea plethorico et in aetate, quam fluxus hic ſolenniter exſpectat, conſtituto, hanc euacuationem prouocare et promouere facile concipere licet: illud tamen valde difficile eſt peruidere quid naturam ad exceſſum in hac euacuatione prouocauerit. Nam et ipſum, qui patiebatur, et vxorem ſenſiſſe virium aliquem defectum palam eſt: et medicum iudicaſſe hanc excretionem nimiam hiſtoria loquitur. Simplici alias plethorae, vt natura illam patienter ferat, nec ſe ferocibus accingat motibus, ſufficit evacuatio ſanguinis mediocris bis per annum tempeſtiue inſtituta: in noſtro autem aegroto quum inciperet ſemel hic fluxus, non in plethorae ſenſibili imminutione ſubſtitit, ſed ad virium iacturam, habitusque corporis, antea ſucculenti et molem aliquam praeferentis, imminutionem conſumtionemque progreſſus eſt. Poteſt quidem viſcerum bonitas ſanguificationi laudabili ſufficiens, poteſt etiam cauſae ſpecialiſſimae continuus concurſus aliquid ad hunc effectum contuliſſe: ſed vereor vt haec omnia ſufficiant, quin cogamur ad ingenuam confeſſionem, ignorare nos quaenam ſit vera cauſa huius peruicaciae in proſequendis euacuationibus laborioſo molimine ſemel inſtitutis, et vnde initio leuamen corpori quaeſitum et paratum fuit.

§. XV.

Sed forte non iniuria allegabitur in haemorrhagiis ſponte ſubortis et copioſius factis aliqua atonia his partibus, ubi illa contigit, illata, vnde fit, vt, ſanguine qualitercunque reparato, ille in haec praevia congeſtione diuturna ſemel dilatata vaſa copioſius irruat, et quum debitae conſtrictionis beneficio careant, illa identidem vltra modum extendat, ſicque continuo priſtina orificia, ex quibus ſemel exitum nactus eſt, reſeret indeque prorumpat. Proſtant plura eiusmodi haemorrhagiarum exempla et diutius et ad ſummam ſtupendamque copiam progreſſarum. Sed hoc loco meminiſſe

miniſſe liceat vnius, quam Auguſtanorum medicorum decus *Welſchius e)* exhibet, nobilis matronae, quae vomitu ſanguinis ſemel correpta, tam effero poſthaec vexata fuit, vt intra anni decurſum plus quam mille libras euomuerit, plus fortaſſe vomitura niſi medici, crebris venae ſectionibus in pede inſtitutis, malum cohibuiſſent.

§. XVI.

Singulare eſt in eiusmodi ſanguinis iactura, quam ipſa natura facit, quod vires haud tantopere depaſcatur, nec tam praeſens damnum inferat, quam quaecunque alia magna profuſio, quae arte vel fortuito vulnere producitur. Citata ex Welſchio hiſtoria comprobat matronam modo dictam, tanto afflictam malo, vix colorem vegetum mutaſſe, viriumque iacturam numquam accuſaſſe, quin vterum durante morbo geſtaſſe: Excell. autem *D. D. Stahlius f)* aliquot hiſtoriis oſtendit quam copioſum et diuturnum fluxum haemorrhoidum aliqui ſatis leuiter commodeque tulerint. Quo minus cauſae eſt in eiusmodi ſpontaneis haemorrhagiis (modo ſine febre magna accidant) valde trepidare et ad ancipitem ſiſtendi modum feſtinare.

§. XVII.

Nam quum vbique deprehendatur magnam et diuturniorem partis cuiuscunque ſpaſmodicam affectionem, quando ea remittit, notabilem atoniam ſubſequi, eaque, quae tenſa fuerant, flaccida et debilia reddi: vnde fere omnium dolorum, qui a ſpaſmis ſunt, finis eſt humorum decubitus, partisque oedematoſa inflatio: ita hic etiam obſeruamus quarumcunque cauſarum, quae tonum partium alterare et vel intendere vel remittere valent, illis ſe locis maxime exſerere efficaciam, quae maxime fuerunt antea per congeſtiones eiusmodi labefactatae. Declarant autem huius asſertionis veritatem quaſi praecipue et quam maxime puellae, quibus

e) *Sylloge Cur. & Obſer. Medicin. obſeru. C. Rumleri.*
f) *Theoria Med. p. 755. ſeq.*

bus menſtrua nondum admodum diu fluunt; quin ex illis etiam, quibus aliquandiu fluxerunt, ſenſibiliores quaeque, ſi forte croco, vino, aliisque ſpirituoſis, dum fluxus ille ſe exſerit, vtantur, aut maiori iracundia excandeſcant: quippe haec ſanguinem expandendi commouendique vires non alio magis loco, quam qui tunc affectus eſt, exercent. Ex altera parte etiam noxas a rebus conſtringendi vires habentibus itidem hoc maxime loco experiuntur, quum quotidie videamus quam facile frigus, praeſertim humidum partibus extremis admiſſum, terror, cibique vel potus incongrui apud feminas efficiant, vt ſollemnis illorum purgatio ſubſiſtat.

§. XVIII.

Si vero leniora viſa, vt panis ſiccus vel a furno adhuc calidus, placentae pinguiores, oua dura, maſſae frixae, potus gelidae aquae ventriculo immiſſus, tantum valent, vt, teſtantibus id tot obſeruationibus, fluxum in muliebri ſexu ſupprimant: cur non idem de ſanguinis haemorrhoidalis cohibendo fluxu metuamus, quum cauſae vtriusque euacuationis generice conſpirent? Et quid non timendum erit, ſi medicinae valde profundeque adſtringentes adhibeantur, quod quidem in noſtro aegroto, malis ipſius rebus, factum eſt. Quo enim maior diuturniorque fuit in ipſo humorum circa loca haemorrhoidalia decubitus; maiorque inde illis inducta laxitas: eo ſenſibilius fuere eadem affecta fortiusque conſtricta ab vſu remedii martialis, quod etiam aliis adſtringentibus roboratum, opioque imbutam erat.

§. XIX.

Et ſane mirandum eſt, quam ſubito ſaepe talia, vix in os recepta, exſerant adſtringendi ſanguinemque etiam e remotis partibus fluentem ſiſtendi vires. Memini me legere aliquando corollaria diſputationi cuidam medicae in Batauis excuſae ſubiecta, (quae nunc non ad manus eſt, auctorem tamen, niſi memoria fallit, habebat *D. D. Bierbrauerum*) quorum vno prouocabantur omnes anatomici, vt cauſam indicent, qui fiat vt cani viuo, ſi crus

amputes,

amputes, illico et quaſi in momento ſanguis ſiſtatur, quamprimum medicinae cuiusdam pauculas guttulas ori infundas. Id quum thraſonice dictum videri poſſit, affirmauit tamen mihi *D. D. Schulze* a ſe ipſo, antea valde de rei ſucceſſu dubitante, experimentum olim Halae Magdeburgicae, praeſentibus multis amicis, factum eſſe, quum canem viuum cultro anatomico ſubieciſſet, et ſanguis ex crurum arteriis ſtudio inciſis proſiliret, medicinae huius copiam faciente *D. D. Andrea Kock*, nunc Archiatro Comitum VVitgenſteinenſium et Berleburgenſium. Succeſſus ſcilicet is fuit, vt antea large longeque proſiliens ſanguis, ipſo quaſi momento, circa vaſorum laeſorum ora grumeſceret et coagularetur. Paratur autem haec medicina ex hæmatite, cryſtallisque tartari, guſtuque explorata vix cuiquam promitteret tantam efficaciam.

§. XX.

Docet, ni fallor, hoc experimentum, ceterique ſupprimendi haemorrhagias quaſi quotidiani modi confirmant, non ſemper opus eſſe, vt immediate medicina conſtringens ad vaſa aperta perueniat; ſed ad motum tonicum alterandum, partesque ſolidas conſtringendas, leue aliquod momentum, quaſi eminus oſtenſum, in hominibus praeſertim ſenſibilioribus, magnaque atonia praegreſſa, ſufficere. Idem, puto equidem, confirmat iaſpidis rubri, ſeu rubris venis et punctis interſtincti, inſignis efficacia in ſanguine ſupprimendo: cuius vires, ab Anshelmo Boethio valde praedicatas, ſuo calculo et grauiſſimo teſtimonio confirmat Angliae illud decus Robertus Boyle. Sed in hoc vltimo, vt abſtruſioris omnino eſt cognitionis modus, ita maiore admiratione dignum tam ſolidum lapidem, corpori tantummodo admotum, manibusue detentum, tantas vires exſerere. In noſtro autem aegroto, quum medicinae conſtringentis continuatus per aliquot dies vſus obſeruetur, non ſolum identidem gula et ventriculus, hisque connexus reliquus canalis inteſtinorum, affectus per illam fuit, verum etiam in ipſum ſanguinem illius quaedam pars deduci potuit, unde tanta conſtri-

ctio

ctio partibus antea debilitatis, et longa humorum coaceruatione vltra modum expanſis, inducta fuit. Fuiſſe autem hanc conſtrictionem non demum a morte factam, ſed omnino in affectus apoplectici initio praeſentem, ex eo patet, quod enema decumbenti infundendum nullo niſu impelli potuit.

ſ. XXI.

Haec contractio non ſolum inteſtina craſſa tetigit, verum etiam venoſum et arterioſum genus omnino affecit: quippe non ſolum vaena haemorrhoidalis, alias ſatis ampla, ſanguine vacua et exigua viſa fuit; verum etiam arteriae inanitae fuerunt et conſtrictae: immo in vniuerſum nulla in abdomine pars fuit ſanguine valde diſtenta, praeter bina inteſtini ilei loca, quae inflammatione correpta ſunt viſa. Ex quo quidem apparet factum fuiſſe in hoc aegroto, quod natura ſollemniter quaſi facere conſueuit, vbicuncunque longis ſuis conatibus obicem poni animaduertit. Scilicet hanc quidem, quam ſemel ingreſſa fuerat, viam coacta deſerit, ſed non ſinit ſe a propoſito depelli violentis remediis, verum aliorſum ſe conuertit et perrumpere nititur. Panditur itaque ſcena ſpaſmodicorum motuum, quibus ſanguis, ob praeuiam conſtrictionem a libero et aequabili circuitu ſuo deiectus, ad partes alias dirigitur et coaceruatur. In noſtro certe ſubiecto non aliorſum, quam ad caput, raptus ibique congeſtus eſt, forte quoniam prioribus annis crebra hic per nares haemorrhagia facta fuerat: vel etiam inuitante opio, quod exhibitae medicinae adiectum fuiſſe deprehenſum eſt, cuiusque praecipua vis eſt, obſeruante celeberrimo et illuſtri *D. D. Fr. Hoffmanno g)* tenuiſſimas cerebri arteriarum membranas, expanſiua ſua indole ſulphureo-vaporoſa, vltra modum extendere, ſyſtolen earum minuere, ſicque ſanguinis ibi ſtagnationes, vaſorumque capitis diſtenſiones efficere.

g) *medic. ſyſtemat. tom. II. p. 275. §. 7.*

§. XXII.

Hoc rerum ſtatu proximus erat ad apoplexiam ſanguineam gradus. Nam quum non deſint quidem exempla eorum, qui ſubito, et nihil antea ſentientes, hoc morbo correpti ſunt: in pluribus tamen imminens malum quaſi praenunciant vaſorum colli et capitis inſignes inflationes, genarum extraordinarius rubor, quem mox grauatiua, ſoporoſa et vertiginoſa capitis diſpoſitio excipit: quae ſingula congeſtionis ſanguinis fructus ſunt, et de cauſa tamquam effectus teſtantur. Vt vero tranſitus fiat ad praecipitem et ſimultaneam ſenſuum abolitionem, reliquaque apoplexiae ſymptomata, motuumque voluntariorum ſublationem, nihil opus eſt, quam vt congeſti et accumulati humores, in parte tam molli, tamque ſubtilibus vaſculis praedita, cerebro ſcilicet vel eius tenuiſſima membrana, alicubi perrumpant vnum vel alterum canaliculum, et vel ſincerum ſanguinem vel ſerum lymphaticum profundant, quibus oppreſſum cerebrum et neruorum principium ad exſequendum munus ineptum reddantur.

§. XXIII.

Scilicet hoc formale et praecipuum eſt huius morbi tam periculoſi, quod extrauaſatio humorum in capite fiat: quo quidem differt ab affectibus grauioribus ſpaſticis, reſpirationis oppreſſione hominem in ſummum periculum, nec raro ad apoplexiam, deducentibus: vnde tamen multi feliciter liberantur, et deinceps a paralyticis euentibus liberi viuunt; quod apoplexia vera correptis vix acciderit. Hanc ſanguinis infauſtam extrauaſationem multis ſectionum exemplis confirmare liceret, a doctiſſimo et immortalem laudem conſequuto *D. D. VVepfero, h)* aliisque celeberrimis medicis, ad poſteritatis memoriam conſignatis; niſi me prohiberet temporis anguſtia, ipſaque res prope omnium conſenſu adprobata et recepta eſſet. Rarius fere eſt aliquando inuentos eſſe abſceſſus, aut alias praeternaturales concreſcentias, quarum compri-

h) in obſeruat. anatomicis ex cadaueribus eorum, quos ſuſtulit apoplexia.

comprimente mole idem, quod a ſanguine extrauaſato, debuit fieri. Sed talia fere inuenta ſunt in ſegnioribus, et aetatis prouectioris hominibus, et qui ſaepius hoc morbo tentati, tandemque fortius recurrente ablati fuerunt.

§. XXIV.

Ipſa vero haec cerebri, tam nobilis partis, laeſio et ab effuſo humore, aut corpore alio peregrino, compreſſio, cauſa mihi adaequata et ſufficiens videtur, a qua tum motuum voluntariorum, tum vero etiam ſenſuum, tandemque vitae, abolitio pendent: vt non opus ſit hanc plenariam remiſſionem principii vitalis taedio cuidam, ob motus antea fruſtra inſtitutos concepto, cum quibusdam auctoribus tribuere. Nam quum principium illud vitale, quod animae rationali illis aequipollet, neruorum miniſterio ad motus voluntarios exſequendos vtatur, eorundemque interuentu ſenſuum beneficio fruatur: quid opus eſt hanc abolitionem, quae mere paſſiua eſt, et organi corrupti vitio debetur, cauſae cuidam morali attribuere?

§. XXV.

Videor mihi iam praevidere, quid obiecturi ſint lectores quidam. Forte enim allegabunt ex chirurgia tot hominum, qui mortem feliciter euaſerunt, exempla, quum tamen cerebrum ipſorum ſatis profunde vulneratum eſſet, vt nullus dubitandi eſſet locus, multa debuiſſe vaſa ſanguinea diſcindi, ſanguinemque per cerebri partes effundere. Si igitur illis innoxie fluxit ſanguis, non videbitur ſenſuum motuumque, quin vitae abolitio ſubita, huic extrauaſationi deberi. At vero in eiusmodi caſibus, quicunque ſeruati ſunt, illos oportet eo fuiſſe ſeruatos, quoniam ſanguis, ex vaſibus ſuis prorumpens, exitum inuenit, nec in tam nobili parte coaceruatus cerebrum moleſte compreſſit. Ita non ignotum eſt experimentum, quo cani menſae impoſito clauus ferreus per caput adigitur, vita tamen illaeſa: non certe beneficio liquoris, quo ille clauus imbutus eſt, aut medicinae cuiuscun-

que, quae poſtea inſtillatur, ſanguinis cohibendi cauſſa, virtute: ſed vnice ex eo, quod ſanguini extrauaſato liber exitus patet; ceteraque naturae beneficio ad integritatem rediguntur.

§. XXVI.

Sed porro obiicietur admiranda illa hiſtoria hydrocephali, quam de bienni puella Auguſtana refert anatomicorum princeps *Veſalius. i)* In huius enim capite, quod maxima adultorum virorum capita aequabat, poſt mortem diſſecto, tanta aquae copia in cerebri ventriculis inuenta fuit, vt novem libras, ſeu tres Auguſtanorum vini menſuras, aequaret. Tanta vis aquae tantum abfuit, vt puellam apoplecticis ſymptomatibus infeſtaret, adeoque compresſionis cerebri documenta daret, vt potius integris omnibus ſenſibus ad mortem perueniret, nec morbi comitialis vllo inſultu, nec tremore aliquo aut motus impedimento afflicta. Certum tamen eſt, quid de hoc exemplo dicere debeam. Nimirum alia eſt conditio tenerae aetatis, alia iam adultorum. In his cerebrum, duro tegmine oſſeo quaſi circumuallatum et cinctum, extrauaſati humoris preſſionem ita ſentit, vt nullo loco relaxari et cedere poſſit: in illis ſequacia omnia et mollia: nec enim ſuturae iam tum coierunt, ſed membranaceo vinculo, quod laxari et ſuccesſiue expandi ſe patitur, oſſa cranii iunguntur; vnde cranium, quanto magis indies cerebri moles expanditur et augetur, tanto etiam ipſum ampliatur.

§. XXVII.

Libenter meminimus huius puellae hydrocephalae, quia et caſum admirandum ſiſtit, et a quibusdam in dubium reuocata fuit illius veritas, quum cauſſas non adſequerentur cur apoplexia non fuerit ſubſequuta. Ex his eſt *Hercules Saxonia*, *k)* qui, quum Veſalii fidem prius concuſſiſſet, nullam cauſam inuenire potuit, quam quod

---

i) *de fabrica corp. hum. lib.* 1. *c.* 5. *edit. anno* 1563. nam in prima editione 1543. excuſa non legitur.

k) *Practic. medic. lib. I. cap.* 7. *p. m.* 49.

quod pituita haec fuit aquea, non viſcida, craſſa et lenta. Sed quum mihi haec minime ſatisfaciant; de veritate hiſtoriae a Veſalio relatae nullam dubitandi anſam reperio, quum et laudet medicos Auguſtanos, qui ſectioni adfuerunt, et ſimiles hiſtorias alii obſeruauerint litterarumque monumentis conſignarint. Ampliſſimus quondam Amſtelodamenſium conſul *Tulpius l)* ſimilem de puero quinquenni hiſtoriam refert, qui quinque libras aquae in ventriculis cerebri collegerat: et Excell. Vlmenſis medicus *D. D. Riedlinus m)* hydrocephalum viginti quatuor annorum, itidem Auguſtae denatum, ſecuit, qui, inde a quinto aetatis ſuae menſe hoc malo primum correptus, ad tantam aetatem peruenerat. Notatu in hoc digniſſimum puto, quod caput incrementum ſumere ſeptimo anno deſierit, et ab hoc tempore ſemel apoplectico inſultu correptus fuerit patiens. Felicior fuit puer Halenſis, quem *D. D. Schulze* circa annum cIↄ Iↄccvi diſſecuit, pannificis filius. Is quum incolumis ad quartum annum perueniſſet, et ludibundus cum aliis diſcurreret, in terram prolapſus caput trabi alliſit. Nullum ipſi graue ſymptoma ſtatim euenit, ſed ab hoc tempore capitis incrementum tam enorme fuit, vt non ſolum proportionem, quam haec aetas poſtulat, ſuperaret, verum etiam maximum viri caput notabili exceſſu vinceret. Hic puer omnibus admirationi fuit animi tum praeſentia, tum prudentia aetatem valde excedente, et ad extremum vsque vitae halitum, quem annos vndecim vel duodecim natus emiſit, tabe et conſumtione inferiorum partium exſtinctus, integritatem omnium ſenſuum conſeruauit. Totius huius ſectionis hiſtoriam alio tempore plenius exhibebit.

§. XXVIII.

Atque haec ſunt, quae de tranſitu ab haemorrhoidum fluxu ſuppreſſo ad apoplexiam meditati ſumus. Poteramus hic pedem figere,

l) obſervat. medicar. lib. I. cap. 24.

m) Academ. Nat. Curioſ. Ephem. Centur. I. obſ. 29.

ſigere, niſi exempla quaedam parallela laudanda ſupereſſent, porroque requiri videretur, vt ex his caſibus aliquas regulas et leges eliceremus, quae non ſolum medicinam facientibus poſſint inſeruire, verum etiam aliis lectoribus, ſi qui futuri ſunt, admonitioni cedant.

§. XXIX.

Et ſane fateri cogor caſus parallelos vndique conquirentem me non niſi paucos inuenire: quum doctiſſimorum medicorum plura teſtimonia inuenerim euacuationes ſanguinis, et quaſi praecipue haemorrhoidales, ſi ſuppreſſae ſint, in apoplexiam praecipitare. Primum autem mihi exemplum, (vt temporis ordine progrediar) ſuppeditauit *Hildanus n)* viri nobilis, qui per multos annos fluentibus haemorrhoidibus ſingulis fuerat menſibus euacuatus. Qui fluxus quum ſeptuageſimo aetatis anno ſubſtitiſſet, laſſitudo et grauitas corporis ſuborta fuit, alteroque menſe transacto mictus cruentus erupit, qui per triduum durauit. Quum differret aeger haemorrhoidum ſibi ab Hildano propoſitam apertionem, et die quodam ex feneſtra fluuium praeterlabentem, rotamque molarem ſeſe circumuoluentem, attentius conſideraret, dolore capitis et vertigine correptus eſt, mox in terram procidit, paralyſique ſiniſtri lateris correptus fuit. Virum hunc haemorrhoides externas tanto tempore fluentes habuiſſe fere perſuadet mictus ille cruentus per tres dies absque dolore durans: vaſa autem haemorrhoidalia externa, et ad veſicam abeuntia, ab vna eademque ſunt origine, ramo ſcilicet hypogaſtrico: et mictum cruentum ſaepe illaeſis renibus a ſola veſica oriri Excell. *D. D. Fr. Hofmannus o)* docuit, aliique obſeruarunt. Quod autem hunc aegrum, qui ſola paralyſi correptus videtur, in exemplum apoplexiae produco, ſciens omnino facio. Iam olim grauiter *Aretaeus p)* monuit: ἀποπληξίη, παραπληγίη, πάρεσις, παράλυσις ἄπαν-

n) *obſeruat. chirurg. Cent. II. obſ. XI. pag. 88. conf. de valetud. tuenda pag. 645.*
o) *medic. conſultat. decad. I. caſ. 9.* p) *Diuturn. lib. I. cap. 7.*

ἅπαντα τῷ γένει ταὐτά: apoplexiam, paraplegiam, pareſin, paralyſin, omnia genere eadem eſſe: cui plane concinit Excell. *D. D. Camerarius* q) qui *non immerito*, inquit, *apoplexia dicitur paralyſis vniuerſalis, paralyſis autem apoplexia particularis.* Et quoniam in hunc Aretaeum incidimus et occaſio fauet, breuiter indicabo illius forte non contemnendam, certe ab aliis fere praeteritam, aetiologiam, qui nempe fiat, vt, reſolutione membrorum in ſiniſtro latere accidente, cerebri laeſio in dextra deprehendatur, et ſi in ſiniſtro fiat, dextra reſoluantur. *Hoc*, inquit, *ideo euenit, quod neruorum initia permutata ſunt. Neque enim dextri nerui in dextras partes ſecundum rectum vſque ad extremum progrediuntur; ſed ab initio enati protinus ad oppoſitos tranſeunt, ſe inuicem ad modum huius litterae X, permutantes, quod Graeci chiaſmum vocant.* Conferantur cum hac aetiologia recentiorum conatus in cauſa phaenomeni huius inueniendа, et mirabimur facilitatem Aretaeanae doctrinae: vtinam anatomicis liceret hunc chiaſmum clare demonſtrare. Intelligo autem ex viri Excell. *D. D. Morgagni aduerſariis anatomicis* r) *CL. Lanciſium* in eandem ſententiam iuiſſe cum libros pulcerrimos de mortibus ſubitaneis tertium ederet.

§. XXX.

Alterum deſumſimus ex modo laudati *Lanciſii*, Italiae medicorum, quos noſtra aetas vidit, facile doctiſſimi viri et Archiatri Pontificii, commentariis de mortibus ſubitaneis. *s)* Refert autem de equite quodam a multis annis haemorrhoidibus obnoxio, cui, quum circa quinquageſimum annum hic fluxus ſubſiſteret, grauatiui dolores circa tempus ſiniſtrum primo exorti fuerunt, poſtea ſubito apoplecticus cecidit. Quum ab inſultibus huius morbi bis terue liberatus eſſet, et interea triſtem, timidam, obliuioſam, planeque infelicem vitam pene per annum traxiſſet, fortiſſima tandem apoplexia ſublatus eſt. In huius cranio aperto haec con-

q) *Cautel. medic. c. VIII. patholog. pag.* 272. r) *Aduerſ. anatom. VI. pag.* 109.
s) *pag.* 46. *edit. Lipſienſ.*

ſpiciebantur: *omnia piae matris ſanguifera ac lymphatica vaſa pene in varices abierant. In ventriculis copioſa ſeroſitas continebatur. Sed malorum ſumma latebat ſub dextra parte oſſis frontis, vbi dura et pia mater in multam craſſitiem euaſerant, et finitimus cerebri cortex concreuerat in crudum abſceſſum ſubſtantiae fere polypeae, et magnitudinis aequalis illi pomo, quod appium redolens appellatur. Profundior cerebri cortex, eiusque medullae pars, quae tumori ſubſternebatur, adeo diffluebat, vt puris craſin aemularetur.* Siſtit hic Eques ſe nobis in exemplum, ex quo cognoſcamus, quid hominibus minus alacribus, ſed ſegnioribus, phlegmatico-melancholicis accidat. Nimirum poſt longam hemicraniam, a congeſtoriis verſus caput motibus ortam, tandem ſeroſa colluuies cerebrum inundauit: illoque loco, quo prima effuſio facta videtur, enatus fuit crudus ille abſceſſus, quo cerebrum valde premi oportuit, vt ſubinde idem mali inſultus recurreret, numquam autem priſtina alacritas et corporis animique vigor rediret.

§. XXXI.

Tertium etiam liceat ex eodem mutuo accipere auctore. *t)* Commemorat autem matronam ſexagenariam, quae diu ſpaſmodicis circa collum et pectus doloribus vexata, leuique vertigine exagitata, melius habebat haemorrhoidibus fluentibus. Haec ſubita apoplexia cum ſenſuum et motuum abolitione correpta adhibitis cucurbitulis, vſtione, veſicatoriis, ſuppoſitoriis, aliisque praeſidiis, ad ſe reuocabatur. Remanebat autem paralyſis ſiniſtri lateris. Operam dabat Lanciſius reuocando haemorrhoidum fluxui: ex quo, non omiſſis aliis conuenientibus remediis, omnino ſibi fuit reddita.

§. XXXII.

His denique ſubiungo luculentam obſeruationem, quam vir Excell. *D. D. Baierus, h. t. Magnificus academiae Rector, praeceptor et patronus aetatem colendus*, beneuole mecum totidem

t) obſeruat. II. pag. 191.

tidem verbis communicauit. Reuerendus quidam Parochus, " ſeptuagenario maior, haemorrhoidum fluxu iam antea tentatus, " eodem non rite ſuccedente, dolorem coxae vehementem ac " diuturnum perpeſſus, inde per ſanguinis miſſionem in pede late- " ris affecti, et medicamenta congrua liberatus, redeunte incer- " tis quidem interuallis profluuio iſto, bene ſe habuit per aliquot " annos, repetitis circa aequinoctia phebotomiis et purgationi- " bus. Cum vero ante biennium, in autumno, ſanguinem mit- " tere, vano ſenectutis metu, neglexiſſet, circa brumam ſubito " apoplexia et dextri lateris paralyſi correptus eſt. In auxilium " vocatus ego ſtatim e brachio ſiniſtro mittendum ſanguinem in- " ſtitui, ſed propter ipſius craſſitudinem vix paucae effluxerunt " guttae. Manum igitur aquae praecalidae, et quam aeger, ſi ſen- " ſum habuiſſet, difficulter omnino toleraſſet, imponendam cu- " raui, vnde inciſa vena ſaluatella ſanguis quidem liberaliter " prodiit, ſed adeo ſpiſſus, vt inter effluendum, in ipſa aqua tam " calida ſtatim coagularetur, ſpermatis ranarum inſtar, et tena- " citer concretus in altum attrahi potuerit. Seruatus tamen et " ſuperſtes adhuc eſt, nulloque reſolutionis membrorum veſtigio " relicto fungitur ſuo munere, iam ſex ſupra ſeptuaginta annos " natus. Nuper autem, in haemorrhoidum vicem ſuperueniente " mictu cruento laborare coepit, quem applicatis ad anum hirudi- " nibus et interna medicina ſufflaminari aut certe imminui poſſe, " non inanis hactenus ſpes fuit.

§. XXXIII.

Supereſt igitur, vt ex hiſtoria noſtri haemorrhoidali, et ex illis, quae ad illuſtrationem adductae ſunt, quasdam regulas medicas eliciamus. Eſto autem prima, quae non tam medicis, quam curandis, ſcripta eſto: ne quisquam facile a medico, cui " ſe, omnibus rationibus probe ſubductis, curandum tradidit, ad " alium tranſiliat, ſi is, morbi genio, curandique omnibus condi- " tionibus, perſpectis, exſpectationem patientiamque commen- " dauerit. Loquimur de medico ad curationem adhibito, non "

 quem

quem ſors obtulit, ſed quem ex multis, tamquam prudentia et experientia ſupra ceteros excellentem, ſemel aliquis elegit, nec habet, cur alium, manifeſti certique periculi cauſa, exquirat. Merito notamus noſtri ſaeculi hominum deſultorios mores, qui, non tam iudicio, quam ſomniis ſuis, indulgentes vnum poſt alium experiuntur, ſi non a prima praeſcriptione optata ſalus quaſi confertim affluat. Sed longe deterius eſt, ſi demum, poſt euporiſta ſic dicta, ab aniculis commendata, ad vromantas, ruſticos, balneatores, agyrtas, pharmacopolas, omnesque medicaſtros concurritur, horumque opera fruſtra et non ſine damno diu adhibita, ad medicum legitimum tandem deuenitur. Is vero ſi non primo ſtatim conſilio ſuo omne malum vincat et profliget, porro carnifices magicaeque artis, vt creditur, profeſſores, ſollicitantur, niſi quidem antea primum ſpecimen irritum ediderunt. At vero magis exulceratum eſt hoc malum, quam vt diutius immorari huic loco libeat.

§. XXXIV.

Maxime autem illud ex hoc caſu nobis diſcendum eſt, non ſine ſummo periculo medicum aggredi poſſe cohibendas et in ordinem redigendas eiusmodi ſanguinis excretiones, quae poſt longum naturae molimen demum erumpunt, et vel patienti vel ipſi medico nimiae videntur. Actum agerem, ſi multis verbis inde metuenda incommoda deſcribere vellem, cum id alii praeclariſſimi ſummique viri accuratiſſime fecerint. In eiusmodi itaque caſibus omnino praepoſtere hi agunt, qui fluxum coercere ante audent, quam motus congeſtorios blande imminuendo, naturamque alio auertendo viam ſibi ad illud tuto praeſtandum parauerunt. Quare tutiſſima omnino illa eſt medendi ratio, quae ſanguinis copiae minuendae per artificiales detractiones, et valde nutrientium ſubtractionem, proſpicit; deinde motibus alterandis ſtricturisque tollendis per antiſpaſmodica et temperantia operam impendit. Quam primum enim ſublata eſt praeternaturalis partium ſtrictura, humorumque circuitus liber et aequabilis redditur:

ditur: ceſſat etiam humorum ad loca, vbi excretio nimia ante fuit, decubitus, hocque facto, haemorrhagia ſponte ceſſat et deſinit.

§. XXXV.

Si vero omnino videatur non periculo carere nimia et violenta ſanguinis protruſio, illam cautionem adhibere oportet, ne ad fortiſſima, et profunde adſtringendi viribus praedita, ſtatim proruamus: ſed ita moderatiſſimis etiam vtamur, vt non tam ad materiales adſtringendi vires, quas medicina continet, reſpiciamus, quam ad naturae verſatilem et deſultoriam indolem, qua ſaepe a leuiſſimo adſtringente, quaſi tantum monita, motus priſtinos remittit et ad alios progreditur. Etiam illud ſummam medici vigilantiam poſtulat, vt praeuideat quo natura ruat, ſi fluxus ſanguinis ſpontanei quocunque modo ceſſauerunt, ſiue ſuppreſſi illi ſint medicinis datis, ſiue terrore aliaue cauſa cohibiti fuerint. Quum enim nihil magis ſolenne ſit, quam quod turbati vno loco motus ad alium ſe conuertant, et fere ſemper periculo maiori, quam prior fuerat, ſtipatum: in tempore occurrendum eſt, ne occaſio iuuandi praeceps elabatur. Ea cura ſi in noſtro aegroto fuiſſet adhibita, humoresque ad caput ruentes cito fuiſſent reuocati, abdominisque ſtrictura reſoluta, nullum eſt dubium, quin funeſtus ille finis auerti potuiſſet.

§. XXXVI.

Haec ſunt, quae de hiſtoria viri nobilis, ex haemorrhoidum fluxu ſuppreſſo in apoplexiam praecipitati eaque exſtincti, meditari commentarique pro temporis ratione et ingenii modulo licuit. Supereſt, vt beneuolum lectorem, qua decet modeſtia, rogemus, velit illis, quae imperfectam humanae ſcientiae ſortem teſtari videbitur, veniam dare. Summum autem, quod veneror, Numen ſupplex precor, vt et noſtris porro faueat ſtudiis et conatibus, et caſus ſubitaneos a beneuolo lectore omnibusque piis auertat.

Μόνῳ τῷ Θεῷ δόξα.

TV *faber* es, SCHMIDI, dictus ſermone Latino:
Nil opus, vt quaeram, quid *fabricare* velis?
Nempe manu medica Tibi opes, aegrisque ſalutem.
Fortunae poteris ſic bonus eſſe *faber*.

p.
IO. IAC. BAIERVS, D.
et Prof. Med. primarius,
Acad. h. t. RECTOR.

QVum iuuenis noſtras eſſes delatus Athenas,
Vt medicis animum fontibus imbueres;
Conſiliis ſtudui mea permiſcere parentum,
Quae TE ſectari meque dediſſe iuuet.
O ego quam laetus TE viſo docta loquente!
Praemia ſudoris iubila larga dabunt.

Ita nobiliſſimo Domino Candidato Συμπατριώτῃ et ob paternam amicitiam perquam dilecto, applaudit l. m. q.

IO. IACOBVS IANTKE,
Med. D. et Prof. P.
Sereniſſimi Ducis Palatino-Solis-bacenſis Archiater et Conſiliarius.

NOBI-

NOBILISSIMO ATQVE DOCTISSIMO DN. CANDIDATO

S. P. D.

IO. HENR. SCHVLZE

Med. D. et Prof. P.

QVum TIBI gratulatorium carmen ſcripturus; muſas, ἐλθεῖν εἰς ἐμὸν ἦτορ, identidem ſollicitarem atque inuitarem: nunquam, fateor, magis a me auerſas illas, quam hodierno die, expertus ſum. Quare conari amplius, tam inuita minerua, nolui, meque ad hoc ſimplex ſcribendi genus conuerti. Vehementer laudandum mihi videtur inſtitutum, quod in diſſertatione TVA ſequutus es: eiusmodi enim meditationes ad rectum fructum ab experientia capiendum manu quaſi deducunt. Praeiuit medicis in hoc commentandi genere pulcerrimo exemplo Io. Baptiſta Syluaticus, Mediolanenſis quondam medicus, qui ex Galeno hiſtorias medicinales excerpſit, et adiectis enarrationibus demonſtrauit, quem fructum ex illis capere liceat. Sequuti ſunt tam laudabilia veſtigia multi ſane praeclari viri, qui vel academicas diſſertationes hac methodo concinnarunt, vel integra volumina, ad hunc modum adornata, emiſerunt. Quare laudandum TE ob hunc laborem, et vt inſtitutum idem porro ſequaris, rogandum exiſtimaui. Diligentia aſſidua, qua operam medicinae ſtudiis apud nos dediſti, pietas, morumque ſuauitas, et modeſtia TVA, optimumque quod ad literas attuliſti ingenium, optima et maxima de TE ſperare iubent: quae quidem vt DEO fauente conſequaris, toto animo apprecor. Scrib. Altorfii Norimbergenſium a. d. XIV. Aprilis cIↄIↄcc XXIII.

Der

DEr Mühe folgt der Lohn; die Krone den Beſchwehrden;
Dem Fleiß der Doctor-Hut. Nimm demnach gleichfalls an/
Was Dir Hygea ſchenckt. Sie glaubt/ daß auf der Erden
Kein Schmid ſo wohl wie Du den Stahl verſtehen kan.
So ſtähle denn Dein Glück: Beveſtige Dein Wohl:
Die Liebe zeigt vielleicht Dir auch ſchon einen Pol/
Der Dich Magnetiſch zeucht. So kanſt Du denn in Frieden/
Trotz aller Eiferſucht/ Dein Glück Dir ſelber ſchmieden.

Dem Herrn Licentiaten ſeine ſchuldige Gratulation abzuſtatten/ ſetzte dieſes

D. G. F. DEINLEIN.

MAxima pars hominum procul emigrare dolores
Corporis optabit; Medicos hinc conſulit aeger:
A morbo vacuus, non eſt ingratus in illos,
Offert dextra manus largiſſima dona ſalutis:
Aequales fructus aliquando ex arte magiſtra
Colliget afflictis ſuccurrens SCHMIDIVS Auctor.

Clariſſimo DN. CANDIDATO fauſto omine gratulabundus applaudit

IACOBVS CHRISTOPHORVS SCHEFFLER, Med. Lic.